



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 13. Disputatio inter Jacobum Boileau & petrum Allixium Hugonotum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. sonas liliis munitas jus competere, re-
A. C. 1680. spondit. Denique Pontifex novam So-
 cietatem, cui nomen a *Divina Misericordia*, instituit, cujus sodales quotidie
 eleemosynas ostiatim colligerent, ut
 bisque incolis charitatis opera frequen-
 tius exercendi occasionem præberent,
 atque egenis succurrerent.

§. XIII.

*Disputatio inter Jacobum Boileau &
 Petrum Allixium Hugonotam.*

*Du Pin.
 Nouv. Bibl.
 des Auth.
 t. 19. p. 67.*

Seria hoc anno intercesserat discepta-
 tio inter Jacobum Boileau Sorbone
 Doctorem necnon Senonensis Ecclesie
 Decanum, & inter Petrum Allixium
 Calvinianum apud Charentonenses præ-
 dicantem. Hic enim, ut realem Cor-
 poris & Sanguinis Christi præsentiam
 in Eucharistia negaret, in erroris sub-
 sidium detorquebat auctoritatem S. Au-
 gustini, qui a Consentino interrogatus,
*an nunc Corpus Domini ossa & sanguinem
 habeat*, Epistola 146. his S. Evangelii
 verbis respondit: *Palpate & videte, quia
 Spiritus carnem & ossa non habet*, quibus
 addidit S. Augustinus: *fides adfit, &
 nulla quæstio remanebit, nisi sorte de san-
 guine post Christi resurrectionem requi-
 rendum sit, quia cum Christus dixisset: Pal-
 pate &c. non addidit sanguinem: non ergo*

& nos addamus inquirere, quod ille non Sæc. XVII.
 addidit dicere, & de compendio, si placet, A. C. 1680.
 finita sit quæstio &c. Ex hisce D. Au-
 gustini verbis Calvinista perperam intu-
 lit, quod nec sanctus hic Doctor, nec
 Consentius realem Sanguinis Christi
 in Eucharistia præsentiam crediderint,
 alias nec Consentius de Sanguinis exi-
 stentia dubitasset, nec Augustinus tam
 trepide ad hanc quæstionem respondi-
 set: Postea in sui argumenti robur plu-
 res Ecclesiæ Patres allegabat, qui Christi
 corpus post Resurrectionem aereum, &
 exangue statuisent, hancque in rem
 dissertationem edidit: verum Boileau
 huic Calvinistæ dissertationem latinam
 de Sanguine Christi post resurrectionem
 opposuit, ac luculenter demonstravit,
 Divum Augustinum nequaquam de reali
 Sanguinis præsentia dubitasse; cum di-
 fertis verbis asseruerit, Corpus Christi
 ita in cælo esse, uti erat in terra, quan-
 do ascendit in cælum: duntaxat autem
 dubitarit, an non & pituitam, fel fla-
 vum & nigrum nunc habeat: Postea
 redarguit suum adversarium, quod una-
 cum sociis suis, valido contra realem
 præsentiam argumento destitutus, ad
 misera hæc atque infirma desperatæ
 suæ causæ præsidia confugere coactus
 fuerit. Denique illum Sanctos Patres
 perperam interpretatum fuisse ostendit,

Hh 4

ex-

Sæc. XVII. explicatoque vero eorum sensu demonstrat, quod opinio, qua Christi corpus sanguine destitutum & in aerem diffusum dicebatur, damnatus Origenis error sit, a quodam Lutheri discipulo innovatus.

§. XIV.

Innocentii XI. epistola ad Estræum Cardinalem in Regaliæ causâ.

*Esprit
d'Arnaud
part. I.
pag. 428.*

Innotuit Innocentio Pontifici, quod Ludovicus XIV. Franciæ Rex Estræum Cardinalem Romam in Regaliæ negotio decernere statuisset, quo circa illum ad operam suam strenue conferendam incitaturus, die vigesima octava Februarii has ad eundem dedit literas: „Probe intelligis, pro tua singulari prudentia ac eruditione, quam „injusta fuerit deliberatio, ad quam „improba nonnullorum consilia Regem „Christianissimum impulere, subjiciendi „oneri, quod *Regaliæ* nuncupant, Ecclesias quascunque illi non assuetas, „quam latius indies serpat hæc pestis, „quæ ex ea perniciēs & ruina non in istud „solummodo Regnum, sed in universam „Ecclesiam derivari aliquando possit. „Neque dubitavimus, quin ex tua præstanti pietate & rei ipsius gravitate „jampridem excitatus, omni ope, studio-